
DE ARISTOCRATIÆ VENETÆ ET SERENISS. IN EA PRINCIPIS ANDREÆ GRITI LAVDIBVS IOVITÆ RAPICII ORATIO.





Clarissimo & ampliss. viro Andreæ Francisco, magno Reip. Venetę Cancellario. Iouita Rapicius. S.D.

AMO pietatem tuam, quod Venetam vrbem, domum hanc imperii, & dignitatis, ita colis: vt ea vna nihil tibi aut venerabilius sit, aut iucundius: & cũ omnes ita diligas, ut optimo cuiq; plurimum deferri velis: principis tamẽ in vestra Repu. post hominum memoriam longe integerrimi Andreæ Griti virtutes, ita admiraris, ut assidua prope prædicatione circumferas. Proinde cum pia quadam admiratione ductus, & illum & præclarã istam ciuitatem vestram proxime laudare tẽtassem: neminem habui, cui eam lucubrationem potius q̃ tibi mittendam putarem: tum vt exigenti aliquod ingenii nostri specimen exhiberem, tum quod eiusmodi res vt cunq; scriptas libenter lecturus esses, quippe his dissimillimus qui aut totum hoc scriptorum genus improbant: aut certe eorum laudes qui an unq̃ fuerint nondum satis sciri potest, libentius legunt: q̃ eorum quos intuentur: & a quibus maximis se beneficiis affectos negare non possunt. Verum tu, quæ tua prudentia est, velim consyderes materiam vt pulcherrimam ita longe difficillimam, ita ab aliis ante tractatam, vt nullam fere nisi ex elocutione laudem sperare fas sit, quæ vix vnquã satisfacit ubi sola spectatur. Quanq̃ ego & ordinem quẽdam, non, opinor, ingratum rebus adhibui: & non pauca adhuc indicta primus adieci: ac nequid dissimulem summa ope laboraui, vt non sine aliqua voluptate legi possent: quod si tibi viro prudentissimo, & honestissimo isti scribarum quibus merito præfectus es ordini, præstitisse visus fuero: ab optimo principe impetrabis, vt orationẽ quanq̃ meritis suis longe imparem, edi patiatur, eam ad quam proxime accedit diuorum imortalium lenitatem imitatus: quibus hominũ pietas adeo grata est, vt se quauis manu pingi, fingiq; quauis oratione laudari gaudeant. Vale, & nos dilige.

DE ILLVSTRISSIMI VENETORVM Principis Andreę Criti, laudibus, & egregiis in patriam, ac Remp. chriſtianā meritis. Iouitæ Rapicii oratio.

NIHIL fere in bene cōſtituta Rep. eſſe an
tiquius, aut animis hominū ad res preclare
gerendas excitandis aptius, q̄ eorum qui
de patria bene meriti fuerint, memoriam
propagare: omnium prope gentium mores
atq; inſtituta declarant. Non enim ſepulchra modo, ac ſta-
tuas, ſummis uiris hodie quoq; publice erigi uidemus, ſed
quod precipua admiratione dignum ſit, diuinos etiam ho-
nores nonnullis olim fuiſſe delatos legimus: Sic Reges ali- Aegiptus.
quot prope immortales Aegyptus reddidit, ſic uiros fortes Athenæ
Athenæ celebrarunt, ſic Quirinum ſuum, ſic Cæſares quoſ Roma.
dam Roma conſecrauit. Sic deniq; etiam in ampliſſima
hac Vrbe eorum qui Reipu. magno uſui aliquando fuiſ- Venetiæ
ſent, equeſtribus ſtatuis memoria propagata eſt. At ſi quis
unq̄ fuit cuius nomen æternum fieri patria deſyderarit, is
profecto eſt Illuſtriſſimus hodie Princeps Andreas grittus, Andreas grittus.
cui cum illa pro meritorum magnitudine q̄ maximos po-
tuit honores iam pridem preſtiterit, adhuc tamen tū publi
ce, tum priuatim, tantis uirtutibus gratum aliquod teſtimo
nium pro ſe quiſq; nititur exhibere. Siquidem & nobilitas
illum quibuſcunq; licet officiis atq; honoribus proſequi cō
ſtanter perſeuerat: & ſi qui poſſunt addere famā rebus Ar-
tifices, heroici illius oris dignitatem, & tot rebus ſpectati ca
pitis honores, alii coloribus, alii ære, atq; argento expreſſiſ

se lætantur. Quæ omnia etsi princeps optimus quasi certa
grati animi argumenta libenter accipit, næ illi tamen lon-
ge gratius futurum sit, si quis res ab eo præclare gestas non
inculta oratione possit explicare. Est enim optimo ac for-
tissimo cuiq; natura insitum, ut perpetuam rerum a se forti
ter atq; honeste gestarum famam ad posteros transire desy-
deret. Quod neq; ductæ coloribus imagines, neq; impres-
si argento atq; auro uultus, neq; sumptus ulli q̄q̄ profusi,
præstare possunt. Siquidem & uno tantum loco simulacra
uisuntur: & reliqua impendia opulentiam magis indicare:
q̄ gloriam proferre solent. At oratio non tam corporis li-
neamenta, q̄ eximias animi dotes, apte atq; ornate expri-
mens, neq; uno loco aut seculo legenda, rerum gestarū me-
moriam si non æternam, certe ualde diuturnam potest red-
dere. Itaq; etsi non eram nescius q̄ sit difficile, ubi a poetica
illa carminū suauitate, & Musarum quidlibet impune au-
dentium adyto recesseris, illustres uiros soluta & seria ora-
tione laudare: animum tamen meum ita excitauit religiosa
quædam Venetæ Reip. admiratio: & rerum pro illa a for-
tissimo Principe gestarum magnitudo: ut graue piaculum
committere me arbitrarer, nisi tentassem an quæ de his ani
mo conceperam, ita possem scriptis exprimere, ut neq; ni-
mis uerecunda taciturnitas tam pias cogitationes diutius
inclusas contineret: neq; oratio ipsa legentibus ingrata cō
tingeret. cui audaciæ haud difficile, opinor, iudex æquus
ignoscet, tum ꝙ honesti conatus q̄q̄ uiribus longe maiores,
ueniam fere semper, ac nonnunq; etiam laudem meruerūt,
tum ꝙ hoc ipsum quicquid est, ideo sumus aggressi, ut quod
iam pridem huic reip. & tanti uiri uirtutibus nos debere

ſentimus, ſoluere tandem qua poſſumus parte tentamus, pium rati, eos imitari, qui, quod de ſublimibus atq; admirādis rebus, ſecum ipſi diu meditati fuerant, id litterarum poſtea monumentis prodere non dubitarunt. Vtinam uero tam piæ ſedulitatis officio aura aliqua fortunæ obſequentis aſpiret, atq; oratio hæc maximi Principis laudes ſi non, quod maxime optabamus ornate & copioſe, certe breuiter & ex fide, nec uulgato more complexa, æquis iudiciis legi mereatur, & ipſius ſaltem materię dignitate commendata animos hominum ad tantarum uirtutum æmulationem ſubinde excitet. Vnde autem de tanto uiro dicendi melius auſpicia ſummemus? q̄ ab his quæ illi tam honeſtæ uitæ initia contulere. In quibus primum ſibi locum patria merito uendicarit. quæ ante omnium hominum memoriam protulit ac ſub inde fouit, atq; prouexit gentem illam longe integerrimam unde hic naſci aliquando poſſet. Verum ut de tam illuſtri urbe ſiluiſſe prope impium eſt, ita multa loqui importunum. Quis enim de eo principe cui tot propriæ ſint laudes, ac ſuperſint, ea quæ illi cum multis hominū millibus ſint cōmunia prolixius memorari æquo animo ferat? Quis rurſus tanti uiri laudibus non plurimum eam Patriā conferre crediderit? quæ cum his dotibus quas uel fortuna indulſit, uel natura conceſſit ad Inuidiam uſq; excellat; longe tamen animi bonis preſtantior ſemper extitit. Nam ut ex honeſtiſſimo Italicæ nobilitatis conuentu exordiū ſumpſit, ita longe optimis adminiſtrandæ Reip. inſtitutis ſemper excelluit: & prope ſola omnium neq; ſuperbo unius dominatu unq̄ oppreſſa eſt, neq; turbulentæ plebis ſeditione iactata, ſed pulcherrimo temperamēto ita Principem ſem

per habuit,ut Regem nunq̃ desyderarit,ita optimi cuiusq; consilio gubernata est,ut multitudinis potentiam nunquã appetiuerit, quibus artibus non libertatem modo in qua est nata defendit, sed quod mireris,imperium terra mariq; sine cuiusq̃ iniuria propagauit. Quippe libera inter orientis atq; occidentis regna quasi medius quidam limes constituta,tantam sui admirationem excitauit, ut uicinæ urbes sese illi dedere ultro expeterent.nec ullam tamen illa in deditionem reciperet,nisi quam aut graui tyrannide oppressam aut opem in malis implorantem suscipiendo seruaret. Adeoq; omnes id beneficii loco acceperunt,ut nulla sit hodie Veneto imperio subiecta ciuitas quæ non huius Reip. clementiam ita diligat,ut pristinæ seruitutis memoriã auersetur. Huc illud quoq; accedit q̃ christianam pietatem iam inde ab urbis incunabulis ita imbibit,ut nulla unq̃ impiæ opinionis labe sit infecta:nullos nisi sanos ritus admiserit, nullas nisi christianas leges agnouerit. Quid q̃ nulla unquã nisi libertatis,aut æquitatis defendendæ gratia bella suscepit?pro dignitate Italiæ,pro Reip. christianæ salute,tantũ Auri,tantum sanguinis effudit:quantum uix ulla alia toto terrarum orbe ciuitas. Hæc deniq; una omnes gentes quæ sunt a fortunatis Insulis ad Euphraten, ab ipsa Thule ac Tanai ad extremam Numidiam atq; Aethiopiam suis cõmerciis ita coniungit,ut q̃q̃ lingua & cultu uariæ sibi tamẽ mutuo prodesse nunq̃ desinant,& cum ne ipsa quidem natura præstet,ut omnia terræ omnes ferre possint, hæc uaria & plane admirabili rerum permutatione efficit, ut quod usq̃ inuenitur,nusq̃ deesse uideatur. Nec uero sibi uni profuisse contenta maximam nostri maris partem,exactis pre

donibus, classis suæ presidio tutam omnibus prestare contendit, & cum ita duplici maris ac terræ libretur elemento, ut utriusq; commodis perfruatur nec ulla inde formidet incommoda, sed pericula uel in alto, uel in continente laborãtium longe secura prospectet, periclitantibus sinum pãdit, & infelices miserata in gremium uocat ac recipit. Nec uero est q eius rei testes aut diu aut procul requiras: statim & undiq; se offerunt. Egregiam enim hanc tam humanę ciuitatis tum in omnes hospites, tum in eos quos premi uidet liberalitatem experta est olim Constantinopolis, Trhacia, Macedonia & Illyricum: experta Attica, Peloponesus, & Epirus, & Asiæ magna pars: expertæ omnes quæ a freto siculo in Pamphylium pelagus & Propontidem Insulę celebrantur, experta non semel illa tot quondam triũphis Roma pręclara: experti Ethrusci, Vmbri, Ligures, Calabri, Apuli: experta (ut uno uerbo dicam) Italia sæpe uniuersa, & bona pars Galliarum, ex quibus omnibus Regionibus uix dici queat quot quantiq; non modo priuati homines, sed Dynastæ, Demarchi, & qui dicuntur uulgo Despotæ, Reguliq; & fanorum Antistites, ac summi aliquando Pontifices, uel bellica tempestate eiecti, uel aduersæ fortunæ procellis agitati in eam ita confugerint, ut non amicum modo hospitium, sed salutare etiã pręsidiũ calamitatibus suis ibi inuenerint. Nam ut Thesauros & numero & magnitudine incredibiles ibi depositos, & summa fide semper restitutos, nulla in laude ponendos aliquis putet: nemo facile animo concipiat, quantum auri petentibus mutuo dederit, quam multa egentibus ultro erogarit: quam multos sedibus eiectos, suis prope humeris in patriam reportarit. Hæc prudẽ

tissimos duces, hæc fortissimos milites, hec oratores eloquẽtissimos protulit. Hæc æquissimorũ iudicum, hæc uere philosophantium, hæc sanctissimorum antistitum ac pontificum parens, & quæ tot egregios uiros terris dedit: certissimos etiam aliquot diuos cœlo intulit. Proinde celebrent licet poetæ & perpetuo carmine in cœlum tollant occultati Iouis consciam Creten, & reptatam Apollini suo Delon, & insignes Herculis ac Liberi patris cunabulis Thebas: dum nihil habeant quod huius urbis miraculis uel anteponere uel cõferre possint. Quæ nec diutinis bellis fatigata, nec tot seculorũ numero effœta, sed inter labores subinde crescẽs, & semper noua prole felicior, tot eximios hoc seculo uiros genuit: ut quãlibet magnis ac multis rebus administrãdis, sufficere uel sola posse uideatur. Sed inter tam generosi partus numerosa miracula quasi lumen aliquod longe præfulgens Andream protulit. Cuius res pro patria præclare ac fortiter gestæ, me iam dudum ita ad se uocant, ac trahunt: ut nec quæ de tanta Vrbe animo conceperam dicere nisi modica ex parte sustinuerim, nec de antiqua Gritæ gentis nobilitate atq; innocentia, uel unum mihi uerbum faciendum putarim, dum ad illa festino quæ optimi principis ita propria sunt, ut nihil ex his sibi possit fortuna uindicare. Qua ĩ parte orationis, summam ex rerum dicendarum copia difficultatem sentio: ac uiatores properantes compellor imitari. Nam ut illi siquãdo in magnam & insignem aliquam urbem inciderunt, quamuis mirẽtur corpus illius uniuersum, plurima tamen membra uix inspiciunt, quædam celeriter intuentur, pauca diligentius spectant, & ad suos reuersi libenter memorant: ita ego etsi eam esse tanti uiri uitam uideo, ut

deo, ut nulla non illius pars laudem mereatur: eorum tamen quæ memoratu digna erant magnitudine ac numero uictus, plurima cogor præterire, multa cursim indicare, pauca ea cura explicabo, ut uel ex his si maxime sola essent, summa hominis uirtus, summa in patriam pietas possit intelligi. Ac prius quidem qualem se ante principatum præstiterit, mox qualis in ipso principatu fuerit dicendum uidetur. Quãuis autem ex solis (ut aiunt) unguibus leo soleat agnosci, nos tamen non primæ modo pueritiæ rudimenta in patria atq; in oculis suorum honestissime acta, sed ipsam etiã adolescentiam omittimus apud nobilissimos sapiẽtiæ professores ita foris excultam, ut inde in patriam reuersus præcipua quadam humanitate ac modestia apud omnes ordines gratiosus esset. Accedebat ad hos mores augusta quædam oris species, & heroica totius corporis dignitas, atq; inoffensa diu ualetudo ad animosum iam & uirile quoddã robur ita prouecta, ut omnes plane iam uiderent hunc uel præcipue parem futurum magnis illis ac multis laboribus quos bonis & Reip. amantibus uiris fortuna pręparabat, ideoq; iuuenem ad magnarum rerum & honorum spem certatim erigere non desinerent. Quamobrem cum facile intelligeret tam honestis hominum iudiciis, non ad mollem & secordem uitam, sed ad labores & gloriam se uocari, accessit ille quidem ad Remp. atq; in ea statim cœpit ita uersari, ut honestis artibus latissimum sibi ad honores aditum pararit: quosdam etiam ita gesserit, ut facilem iam illi & procliuem ad omnes alios decursum fore nemo non prædicaret. Verum cum animus natura sublimis & erectus, niti per ardua ac difficilia gauderet: simul ut more patrio honestis

mercaturis rem familiarem augeret, simul ut Reip. siquando usus uenisset aptius prodesse posset, eam terrarum orbis partem peragrare, atq; explorare instituit; unde & honestiores ad se quæstus redire posse animo conceperat, & grauiora Reip. pericula imminere semp existimarat. Itaq; Adriatico sinu egressus Ionium, Aegeum, Hellespontum, Propontidem, atq; Euxinum, & celebrem illũ uellere aureo phasin, ita penetrauit, ut nulla esset ibi paulo celebrior insula, nullus portus, nulla urbs in ea quę circumiacet continente, quã non adeo curiose inspexerit ut non lucri cupido ad quæstũ, non locorum amęnitas ad uoluptatem: sed publicæ utilitatis ratio ad regionum cognitionem traxisse illum uideretur. Quis uero unq̃ satis admirabitur egregiam illam solertis ingenii uim, & sublimis animi magnitudinem? quæ in media quoq; Thracia atq; adeo in ipsa imperatoria Turcarum sede, animos omnium in admirationem sui ita traxerit, ut non Itali tantum ac Græci qui plurimi eo loco negotiari solent, sed formidabiles etiam illi Satrapæ, qui imperatori suo ibi assistunt, hominem colerent & obseruarẽt. Atq; ipse quoq; tot nationum ac gentium dominus, inter familiares eũ habere, sibi honestum atq; utile duceret. Huic deniq; tantum apud omnes authoritatis, tãtum apud Principes gratiæ: ut homines non priuatam illum rem gerere, sed publicam existimarent, adeo enim illius animo Patriæ caritas inhæserat, ut q̃q̃ tanto interuallo remotus, q̃q̃ aliud agens mentem tamen atq; intentionem ab illius cõmodis nusq̃ posset auertere. Hinc factum est, ut pauci hodie uires Imperii sui tam bene nouerint q̃ hic, quo est ingenio ac memoria, facile atq; ex fide potest recensere, quantum annuo

rum uectigalium capiat Imperator ille formidabilis, quæ sit illius in administratione Reip. ratio, quæ in re militari, disciplina: quantum peditatu, quantum equitatu, quãtum classe ualeat, quod quanto sit usui nemo ignorare potest, nisi idem ille ignoret, in q̃ graues multi calamitates inciderint, dum aut metuẽda contemnunt, aut contemnenda formidant, Id certe q̃ utile esset tum facile patuit, cum adhuc priuatus (si modo is unq̃ priuatus qui Remp. iuuare nunq̃ destitit) in Thracia degeret, ac tantus ille Princeps insidias huic Reip. intenderet, & nihil hostile metuentibus bellum repente illaturus esset. neq; enim in tanto illo rerum omnium discrimine præclari uiri prudentia ac pietas, pro patria, pro focis atq; aris christianorum potuit non excubare, sed deprensum sagaci consilio dolum, suis utcunq; licuit curauit indicandum: neq; minacibus edictis est absterritus, quominus christianæ Reip. securitatem suæ salutis periculo peteret, Quid cum pietas hominis prope deprensa est, & officii in suos quasi magni alicuius flagitii pœna expetita? an non illius adeo admirabilis patientia, adeo insignis constantia, adeo uigil prudentia enituit? ut ex rebus aduersis atq; horrendis, quibus animi frangi atq; deiici solent, iustissimam sibi gloriam compararit. Non enim hic ille desidia elanguit, non mœrore contabuit, non publicæ salutis oblitus est, quãuis in maximum discrimen suæ iam uocatus esset, sed consilii tam honesti conscientia animum excitante, & suam & Reipu. causam ita egit, ut etiam Thrax ille, q̃q̃ graui ira succensus, tam egregiam miraretur in captiuo fortitudinem, tantumq; apud illum posset tam prudentis animi plane iam perspecta magnitudo, ut quẽ iratus supplicio

destinarat,eundem iam resipiscens custodiri iuberet, & q̄q̄ magnitudine imperii tam late patentis elatus,huius tamen ingenio,ac uirtute se aliquãdo indigere posse crederet, neq; sane falsa est opinione deceptus. Cum enim haud ita multo post Benedicti Pisaurii ductu ac uirtute altera illius classis in Ambracio sinu capta esset,altera in Hellesponti angustias repulsa:Cephaleniaq; & Leucade amissis furoris illius æstus deferuere cœpisset, eius quem in hos usus seruauerat consilium sibi explorandum, expetendumq; existimauit.Hic uero prudens & egregia illa Andreæ in patriam pietas sese animis atq; oculis hominum spectandam rursus obtulit, id enim consilium petenti dedit, quod fore intelligebat accipienti honestum:Reipubli.christianæ commodum, patriæ uero longe utilissimum, prudentissimoq; suasu furẽtem adhuc,a bello quod iniuste susceperat reuocauit:& magnũ quidẽ ac iustum Christianis uniuersis metum ademit, patriam uero tantis sumptibus, damnis, malisq; liberauit,quanta nemo facile animo conceperit. Interpres enim pacis ab illo ad Senatum missus,& mox a Senatu cum mandatis Constantinopolim legatus,longe honestioribus quã quisquã sperasset conditionibus cum illo fœdus æquauit,tamq; utiles Reipubli. pacis leges excogitauit ac sanxit, ut ea pax hodie quoq; non sine uenerabili quadam ueneti nominis amplitudine perseueret. Hæc sunt fortis, hæc in patriam pii, hæc prudentis animi documenta, hæc eius uitæ primordia, quæ ad principatum non ambitu, sed uirtute contendat, si patriam ita ames, ut ubi res postularit saluti tuæ illius commoda anteponas, ut omnes te non tam studiis hominum q̄ dei consilio & tuis meri-

tis ad honores uocatum prædicent. Itaq; ut ex ea legatione domum uenit, statim & egregius ille in Rempubli. amor, & prudentia multarum iam rerum usu confirmata atq; aucta totius ciuitatis oculos in se ita conuertit, ut nihil esset tam amplum in Republica, quo non ille dignissimus iudicaretur, omnes certe honorum gradus tam exiguo negotio adeptus est: ut ipsis etiam suffragatoribus mirum uideretur. Magistratus autem tum urbanos tum prouinciales ita gessit: ut cum maximam de se expectationem ubiq; excitaret, eam tamen semper uinceret. Quis enim uel candidioris animi affectu, uel prudentiori oratione de Republi. sententiam dixit? Quis in iure tam diuersis locis, tot populis, tot nationibus dicundo solertiam suam apertius ostendit? Nemo certe aut faciliores ad se aditus præbuit, aut adeuntium contentiones patientius audiuit, aut (quod longe difficillimum est) diuersa petentium uotis prudentius satisfecit. Tanta enim illi in cognoscendo diligentia: in decernendo æquitas: in animaduertendo moderatio, ut ne hi quidem aduersus quos aliquid statueret queri merito possent. Quamobrem & populi tot ac tantarum uirtutum admiratione excitati facile uiderunt: summa fide colendam esse eam Rempublicam, quæ huiusmodi uiris iurisdictionem ac prouincias committeret: & Andreas ipse nullo unquã tanto honore ac magistratu defunctus est, quin statim illum maiore aliqua potestate atq; Imperio dignum omnes contenderent. Iam uero si animum atq; intentionem ad bella conuertas, tanta rerum laude dignarum occurret copia, ut impediat turba delectum: ubi omnia

& magna noscuntur & paria. Quis enim facile diiudicarit Germanico'ne an Gallico an Hispano bello, maiora uirtutum exempla prodiderit? Quis porro uideat quid in singulis primum, quid medium, quid supremum dici oporteat? Nam ut aliquem temporum ordinem sequare, Quid in formidabili illa tempestate ac procella ex Germania in Veronensem agrum effusa primum cõmemores? Magnum fuit in tanta copia uirorum fortium atque innocentium hunc potissimum tanto Bello præfici, maius in homine tantam rei militaris scientiam fuisse, ut ueterano illi Triuultio Gallicorum auxiliorum duci, multis ac magnis bellis exercito parem se ostenderit: maximum tantã uirtutem atque authoritatem in eodem extitisse, ut Maximilianum illũ tot bellicis rebus clarum, tot domesticis uictoriis insignẽ in sui admirationẽ traxerit: & primus omnium docuerit aliud esse in Germania, aliud in Italia bellum gerere, ubi dum aliena inuadit, ne sua quidem potuit defendere, ita uiri unius ingenio fatigatus, ita uirtute uictus, ut qui ultro prouocarat, inuitus cedere cogeretur, & amenus ille Athesis Veronensis agri genius, atque incola quem tanto armorum strepitu uenientem horruerat, eundem haud ita multo post recedentem non sine admiratione spectaret. Nam dum auidius atque incautius eã Veneti imperii partem, quæ maxime defendebatur, occupare contendit: bona magnaque pars exercitus in hostilem agrũ alio itinere destinata ad ipsos usque Timaui fontes, omnia adeo longe lateque uastauit: ut qui bellum intulerat inducias cuperet, easque se honestis conditionibus impetrasse gauderet. Age uero post horribilem illam totius prope Europæ, in hanc Remp. conspirationem quibus ille pro patria tẽ

poribus non excubuit? quibus locis non presto fuit? quibus se periculis non obiecit? Quis post infelix illud ad Abduam prælium hoc uno uel prudentior, uel fortior usq̃ apparuit? an non si quis omnia diligenter consyderet, hunc ideo genitum uideat, ut omnibus Reipubli. calamitatibus mederetur, non ideo aliorum temeritate rem præcipitatam fateatur, ut hic illam aliquando erigeret, uel certe diuino consilio, illud quicquid fuit, ideo esse permissum, ut huius uirtus ac prudentia apud omnes admirabilior esset ac clarior. Hunc enim unum adeo nec prospera extulerunt, nec aduersa fregerunt, ut eius constantia etiam ab hoste laudaretur. Nam quis in tanta illa militum trepidatione, in tanto populorum metu, in tam repentina defectione ciuitatum, hinc Gallia, & magna Italiæ parte, hinc Germania hostiliter iminente, uel minus timuit? uel ad auertenda quæ impendebant mala cautiorem se exhibuit. Iamq; hostis quicquid hodie uel in cisalpina Gallia, uel in ipsa Venetia Resp. possidet, occuparat: & uix Taruisium atq; ora maritima defendi posse uidebatur: neq; ille tamen aut de Repu. bene sperare, aut eos quos paulo magis q̃ par esset territos uidebat erigere ac cõfirmare unq̃ destitit, cum subinde prædicaret eos qui causa uincerent, superiores etiam bello futuros: eam porro esse Reip. causam atq; fortunam, ut prælio quidem aliquo posset affligi, summa belli totius haud facile posset superari. Quod uerum esse ipso rerũ euentu cõprobatum est. Primũ enim defensum ab imminenti periculo Taruisium: neq; ita multo post Patauium hosti potentissimo ademptum est: ita cõmuni quidem cõsilio, pcipua autem huius solertia & opera ac uirtute, urbes illæ longe pulcherrimæ quasi firmis-

ſima duo Imperii propugnacula,& inexhauſta Venetæ ple bis horrea ab hoſtili iniuria,uindicatæ. Ex illo tẽpore quas ille ſollicitudines, quas uigilias, quos labores non pertulit? dum Patauinam urbem non ſatis munitam aduerſus eam obſidionem quam uidebat imminere firmiori aggere: & foſſa latiore munit,& cõmeatus importare contendit. Quã uero egregium dii boni, quam memorabile illud facinus? quã dignum quod aut diuinis uatum carminibus,aut æternis annalium monumentis conſecretur, ꝙ Senatus formidabilem illam modo receptæ urbis obſidionem Andreæ magis & Nicolai Vrſini prudentia atq; conſiliis,q̃ numero aut robore militũ fretus, ſuſtinere nõ dubitauit:cum multo firmior ac numeroſior illam exercitus obſideret,q̃ olim decantatum illud poetarum carminibus Ilion, niſi forte minus uirium nunc habent bellicoſæ Galliæ, inuicta Germania:aſſueta malo Lyguria,& Roma tot uictoriis clara, quã tunc Peloponeſus,&Attica, & inſulæ quædam paucæ,atq; illæ prope deſertæ, quas aduerſus Troianos coniuraſſe fabulantur. Sed non eſt dictu facile, quo hic ingenio, quibus artibus,quanta celeritate, aut tironem erudierit,aut ueteranum ad diſciplinam reuocarit,atq; optimis præceptis inſtitutum uariis belli uſibus accommodarit. Itaq; etſi magnus ille exercitus urbem ita cinxerat:tormentis ita quaſſarat, ut magna murorum parte diſiecta latiſſimus ingreſſui aditus pateret,ac iam non pauci,ſpe defenſionis abiecta,ſibi priuatim conſulturi uiderentur: ille tamen nulla magis unq̃ de re,q̃ de urbe defendenda cogitauit: & propugnãtis munia ita obiit,ut fortiſſimum ſe militem, & prudentiſſimum Imperatorem ubiq; exhiberet. Quibus enim locis

defuisse illum putes? qui stipante illa patritiæ nobilitatis ca
terua, admirante uniuerso exercitu, inter horrenda illa tum
suorum, tum hostilium tormentorum tonitrua, inter ingen
tes ruinarũ fragores, inter densissimas excitati fumi ac pul
ueris nubes, semper quasi felix quoddam Sydus emicuerit,
atq; ita intrepidus affuerit, ut ubicũq; usus exigeret, fossas
interius duci, aggeres extrui, castella erigi imperaret, atq;
insana illa hostilium impendia machinarum subinde elude-
ret: cum interim nunc hinc, nunc illinc eruptione facta, par
tem aliquam hostium uexaret, & exploratis illorum aut itine-
ribus, aut stationibus alios (ut sors tulerat) repente oppri-
meret, alios ita captiuos duceret, ut ea res magno Reipub.
usui, magnæ omnibus admirationi, magno hostibus terro-
ri atq; incõmodo esset: quos tot tantisq; artibus fatigauit,
ut numerosus ille exercitus cuius uiribus cessura omnia pas
sim omnes prædicarant, obsidionem soluere, & re infecta
discedere cogeretur. Itaq; uix bene liberatus obsidione, &
Vicetiam statim recepit, & eos qui Veronam adhuc obti-
nebant, paucissimis diebus ita afflixit, ac fatigauit, ut iam
iam loco excessuri fuerint, nisi a tam honesto incepto uel
eorum infelicitas qui classem in Pado amiserant, uel fortu-
næ inuidia illum reuocasset. Quæ etsi magna sunt atq; ad-
miranda, illud tamen omnem admirationem excedere ne-
mo dubitarit, quod cum & Nicolaus Vrsinus Impe. longe
clarissimus, & trecenti illi ex omnibus prope patritiis gen-
tibus delecti uiri, egregiam' fidem atq; operam in defenden
da Patauio præstiterint: & ipse non Vrsinum tantum, sed
patricios omnes in partem tum aliarum, tum huius quoq;
rei libenter admittat: totius tamen Europæ constanti præ-

C

dicatione ea laus huic prope uni tribuatur. Qua ex re facile licet intelligere, eius consilium atq; operam in eo periculo ita excelluisse, ut ne externas quidem gētes latere potuerit, tantam rursus in illo esse animi altitudinem, tantam æquitatem, ut non modo quicq̄ ex aliena gloria sibi nolit adscribi: sed contra multum de ea quā sibi iure suo possit uindicare, aliis liberalissime largiatur, uerum nullum finem inueniet oratio, si uelim per singulas res gestas hominis uirtutes perpendere. Quis enim facile diiudicarit? magisne modestiam eius laudari oporteat, in ea uictoria quam sua uirtute compararat, an constantiam ac patientiam in ea calamitate, quæ alioꝶ culpa secuta est. Quid enim fieri modestius potuit? q̄ quod delatum sibi terrestris exercitus magisteriū, honorem nulli patrum ante concessum accipere non sustinuit, & cuius honoris nomen recusarat, eius munia ac labores, q̄diu opus fuit, obire non destitit. Quis porro eius uirtutem satis unq̄ uel laudabit, uel admirabitur? qui malis publicis quæcunq; uel hominum culpa, uel fortunæ iniuria intulit, ea remedia adhibere perseuerarit: ut Resp. nō tam accepta calamitate angeretur q̄ opportuna sibi ab illo subsidia esse excogitata gauderet. Quam prudens enim, quam salubre cōsilium? quod exercitum ne media quidem hyeme desidere unq̄ passus est, sed crebris & lōgis excursionibus omnia hostibus adeo infesta reddidit, ut & eoꝶ qui Veronam præsidiis suis occuparant, eruptiones inhibuerit, & uicinas urbes ad spem fortunæ melioris excitarit. Iam uero cui non illa animi excelsi magnitudo semper erit admirabilis? quod cum patres decreuissent, Brixiam dedere se cupientem, in fidem esse recipiendam, atq; eo cum paucis equitibus profici

sci Andream statim iuberent, ille etsi periculi magnitudinē uidebat, quod & urbs ipsa ualido præsidio tenebatur, & firmissimus hostium exercitus in propinquo erat, ea tamen quæ patribus honesta atq; utilia uisa sunt, non sine euidenti suo periculo obeunda suscepit, & rem quidem adeo strenue gessit, urbe mira uirtute, ingenio, ac celeritate, statim recepta: ut hoc illius prudentiæ ac fortitudini adscribendum dubitare nemo debeat. quæ uero mox secuta sunt diuino potius consilio tribuenda uideantur: id, credo, agentibus diis, ut amicissimæ ciuitatis fidem iam inde a proauorum nostrorum temporibus cognitam, & tolerata pro Veneta Repu. miserabili fame & longa obsidione testatam, nostra quoq; ætate horribilis illa captiuitas, & effusus late sanguis ita sanciret, ut omnis uentura posteritas intelligeret Brixianos pro ueneto Imperio non solum famis atq; obsidionis mala sustinere, uerum etiam ubi usus ueniat, fortiter mori posse. Ac ne illa quidem in re cœlestis prouidentia uel parum salubris fuit, uel occulta, quod ille in intimas Gallias ad Ludouicum Regem ductus est, ut esset qui tam atrox, tamq; formidolosum bellum aliquādo componeret, & irati regis animos ad pacem flecteret. Tantū enim potuit apud magnanimum illum & bellicosum uirum, ea opinio quam ex rerum gestarum magnitudine de Andrea conceperat, ut quā in hoste uirtutem timuerat, eam ne in captiuo quidem mirari desisteret: ac propositis honoribus & præmiis in partes suas trahere hominem laboraret, quod cum non impetrasset, ac iam perpetuæ seruitutis, & durissimi carceris ærūnas captiuo minaretur, ne sic quidem tantus ille Rex, & uictor, & dominus, quod uoluerat est consecutus, cum uir for-

tissimus subinde respõderet, libertatem quidem atq; usum lucis adimi sibi posse, Patriç caritatem extorqueri non posse, ac contra ipsum Regem admoneret: ut hominem se esse meminisset, neq; inter illos successus obliuisceretur, q̃ esset anceps euentus, & fortuna bellorum. Penetrauit animum generosum ac plane regium, fortis & boni uiri tempestiua oratio: atq; efficax illa eloquentia, & generosa fortitudo, adeo & Regi grata, & Reip. opportuna contigit: ut is ubi captiuitatis mala paulo ante pertulerat, ibi iam patrum decreto legati honore, nõ sine magna Regis uoluptate fungeretur: & honestissimæ illius societatis ineundç interpres esset, quæ una tandem hostiles iniurias repressit, & imminentium maloꝝ tempestates procul auertit. Hic ego promissi mei non immemor multa prætereo, quæ uel sola ad iustam laudem satis esse nemo dubitarit. Quotus enim quisq; omiserit: quot quantaq; e Galliis reuertens pericula adierit, uel ad Nouariam fuso ibi ac profligato sociorum, cum quibus erat, exercitu: uel dum inde mouens inter hostilia arma, & structas non uno loco insidias ad opem patriæ afferendam properat: uel dum uix bene ad suos reuersus Patauiũ adhuc defendendum suscipit. Ego uero ad ea quæ longe maiora sunt, tota intẽtione festinans, & hæc omnia omittam, & ne attingam quidem quantum laboris subierit, dum post acceptam in agro Vicẽtino cladem, exercitus reliquias colligit: & animos militum ac ciuitatum confirmare contendit. At enim quæ adhuc dicenda superesse omnes intelligunt, nec taceri ullo pacto debuerunt, nec pro rei dignitate satis unq̃ laudari poterunt. Quam egregium enim illud facinus: quã perpetua memoria dignum: cum non post multos menses

sociorum copias a fuga reuocauit, & earum duci salubrem fiduciam iniecit: hostem uero magno illo & formidabili stipatum exercitu, a Mediolani obsidione ita auertit, ut immanes illos conatus quibus territæ urbes de facienda deditione iam cogitabant, non solum armoꝝ obiectu retardaret, sed prudenti etiam consilio ita eluderet, ut quem ex alpibus descēdentem Italia timens atq; anxia exceperat, eūdem mox citato agmine recedentem, solitudines ipsæ & saxa mirarentur: atq; interim longe melior pars tanti illius exercitus a duce suo destituta sine stipēdio, sine commeatu, palabunda atq; amens, his præda esset quos lacessitum uenerat. Ita huius prudentia ac uirtute, & procella illa atrocissimi belli ab extremo aquilone effusa, a sociorum ceruicibus auersa est: & ad redintegrandum imperium aditus patefactus. Sed quo tandem ego te ore iam bis recepta Brixia, quo te tam pertinaciter ab hoste possessa Verona cōmemorem? aut quo saltem pacto satis admirer militarem tanti uiri in re difficillima solertiam? qui ex his urbibus ita hostem eiecit ut ciuibus nihil prorsus noceret. Quāquam enim illas ualidis præsidiis occupatas expugnare difficillimum erat, longe tamen difficilius fuit, expugnationem ita temperare: ut & hostes fortissime repugnantes uirtute superaret, & eos qui urbes incolebant ab exercitus sui iniuria defenderet. Sed uicit omnes difficultates quæ non facile labitur æquitas, & beneuolentia, tantūq; potuit apud optimum & fortissimum uirum sociarum ciuitatū caritas, ut & euidens salutis periculum adire, & exercitus seditionē sustinere nō dubitarit, dū quas Reip. reddere urbes instituerat, eas a militari iniuria defenderet: proinde

ita rem gessit ut milites quiduis aliud q̄ direptionem ac prædam sperare iusserit,& hostiles animos ita fatigauit,ac fregit,ut loco excedere cogerentur. Illius deniq; militari industria duas illas præclaras urbes Resp. ita recepit,ut maxime desiderauerat,nō direptas,non incensas,sed plane integras, & nullā nisi ab hoste iniuriam passas:atq; una opera,(quod longe honestissimum existimatur)consecuta est,ut simul & uictis clementer parceret,& superbos fortissime debellaret. O iucundum & memorabile spectaculum;cum ille uictor redintegrato iam Reipu. imperio rediret:& quacunq; incederet,festæ libertatis gaudia distribueret:cum amici passim obuiam prodirent,ciuitatum principes illum; lęti amplecterentur,atq; una uoce omnes parentem patriæ,& Reip. seruatorem prædicarent,ille uero modesto rubore suffusus,lætas illas acclamationes frustra inhibere tētaret. Quis enim tam iusti gaudii affectus compescere? Quis nouas naturæ leges posset imponere? cum ex inaccessis mōtibus, & abditis conuallibus innumeri mortales bellicis tandem incōmodis liberati ubicunq; ille uel paulum moraretur, quasi ad ludos celeberrimos conuenirent,lætisq; acclamationibus omnia complerent,atq; interim domus,fora,templa,nemora, solitudinesq; ac saxa ipsa,nihil aliud q̄ Marci,& Griti nomina resonarent, nec esset ullus gratulationibus modus,quia illius quoq; beneficia modum excesserant. Vnus enim nō solum cuntando,sed etiā satagendo Remp. restituerat, unus omnium miserias lenierat,unus tot populoꝝ uotis satisfecerat,unus tot nationum spes superauerat. Quid cū sua illum patria iam tandem recepto imperio læta excepit: quæ admiratio? quæ uoces omnium fuere? quibus ille adeo non

est elatus,ut ultrò etiam offenderetur,ac laudem illam & gloriam totam ad Senatum redire desyderaret, & quasi bonus athleta peractis fortiter omnibus certaminibus, non tam se q̃ patriã,corona & palma insignem esse uellet. Quãobrẽ laudet iam ut libet ciues suos facũda Attica:iactet Sparte bellicosa,tollat in cœlum Roma martia,dum hic unus optimo cuiq; eoꝝ cõferri mereatur.Quãuis enim illis imperii magnitudo, tum plurium, tum maioꝝ rerum gerendarum occasionem præstiterit:ubi tamen omnia diligenter excusseris,facile uideas alios dum incautius pugnant:uel sese non tam fortes,q̃ audaces in dicasse,uel in ipso ætatis flore sublatos nihil præter luctum ac lachrymas suis reliquisse.Alios rebus præclare gestis tantum sibi apud suos inuidiæ atq; odii peperisse, ut quarum ciuitatum aut fundamenta iecerant,aut mores composuerant,aut felicitatem auxerant,in his incolumes esse nõ possent. Testis Scyros exule Theseo minor insula, Testis capræ palus Romuli sanguine infecta, Testis Atticus atq; Argiuus carcer,hic Philopœmenis,ille Miltiadis morte infamis, Testis deniq; linternum, & Ardea,hæc Camilli exilio,illud Aphricani sepulchro nobile.Multi porro armis clati,in Toga uiluere: multi rursus domesticis laudibus insignes, bello inutiles se præstitere. Huius autem uirtus in tãta magnitudine & diuersitate belloꝝ ita semper effulsit,ut non minorem ex aduersis q̃ ex secundis rebus gloriam retulerit:tanta semper foris,tanta domi authoritas,ut omnes & præsentem colerent, & absentẽ desyderarent.Proinde si cui forte libeat hũc Fabio illi Maximo conferre,multis rebus parem,multis superiorem facile intelliget. Ille Hãnibalem mora fregit:hic Maximilianũ

Ille temerarios Minutii ausus, quoad licuit, repressit. hic fidos quidem sed Reip. noxios Liuiani impetus retardauit. Ille periclitanti equitum Magistro opem tulit. Hic clades aliena temeritate acceptas sua prudentia & uirtute leniuit. Ille Statilium ad hostes transfugere tentātem retinuit: hic Gallorū duces a fuga retraxit, hic Ludouicum eorumdem Regem, ad Reip. societatemq́ reuocauit. Gloriosum sibi Fabius existimauit, quod Tarentū salinatoris culpa amissum recepisset: at quāto maior huius gloria? qui Veronam, qui Brixiam tum maiores Tarento, tum munitiores recipiendo seruauit: qui Patauium nō modo recepit, sed receptum toties ab hostili impetu insidiisq; defendit. Proinde quis iā tot tantisq; illius in Rempub. meritis factū esse non intelligat? ut e bellis uictor reuersus honestissimum in Rep. locum obtineret, & cum nō ita multo post, Antonius Grimanus, uir longa rerum experientia; prudentissimus principatu & uita excederet, eū honorem huius meritis deberi tanta omnes constātia prædicarent, ut tam honestis uotis etiā Deus aspirauerit, & hic ad principatum ita sit euectus, ut electio illa atq; sortitio, diuino potius q̄ humano nixa consilio uideretur. Quid quod ille quoq; etsi antea principatu se dignum ostenderat, nunq̄ tamen uisus est dignior, quā eo quo electus est die. Siquidem & heroica illa corporis maiestas repente augustior apparuit: & diuina illa mens ut aduersis rebus semper infracta, ita secundis nunq̄ elata præstitit, ut omnes intelligerent, quanto esset utraq; fortuna superior. uix enim unq̄ plura mansueti ac ciuilis animi documenta exhibuit, q̄ cum his qui gratulabantur dexteram illam certissimum fidei pignus omnibus ultro porrigeret, atq; eos.

arctius

arctius amplectefetur, qui poterant illius animum a se iure alienatum suspicari. Postq̃ uero augustam illã sedem adiit, ac sacrum illud tribunal ascendit uir nullis unquam laboribus fractus, omnes statim ingenii uires excitauit: ut quẽadmodum ante eam diem, Rempubli. magis semper quam suam curauerat: ita in hac quoq; dignitate, quæ Reip. utilia atq; honesta censeret, summa cura & labore præstaret: neq; minora, consilio, authoritate, ac sententia, domi gereret, q̃ foris ante gessisset. Itaq; inuocato in auxilium deo, qui illius consilia semper ante formarat, ita Remp. administrare cœpit: ut non minore cura magistratus omnes, ac subiectas Reip. nationes togatus in officio contineret, q̃ ex uariis gentibus, ac linguis coactos exercitus, coercere solebat armatus: & qui in tam longa rerum bellicarum administratione ita uersatus erat: ut nihil in domũ suam præter gloriam, ac memoriam abstinentiæ sempiternam intulisset: in hac quoq; re non alios modo, sed seipsum quoq; superaret. Proinde integritatem atq; abstinentiam suam omnibus ita comprobauit: ut nemo nõ intelligat laudem hãc, hominis esse, non temporũ. Nam quod multi olim in Romana, multi in Veneta quoq; Rep. ex ea uirtute, laudem sibi prope immortalem pepererunt, id temporum illorũ moribus, uerius fortasse, q̃ hominibus, adscribas. Hæc autẽ uera laus, hæc hominis, non seculi gloria, hæc eius principis uirtus, qui nihil magis desyderet: q̃ ut ad priscam illam sanctitatem reuocata Respubli. ciuium suorum frugalitatem & abstinentiam, cum tota antiquitate certare lætetur. Atq; hæc quidem uirtus, ubi unam illam inspicias, magna atq;

admirabilis uideri solet. Vbi uero alios tam bene consti-tuti animi habitus illi contuleris, eadem quasi modica lux, multis magnisq; splendoribus circumsepta superatur. Quã splendida enim, quã amabilia in optimo principe illa sunt? quod his opibus quas a maioribus honestas accepit, ita sem per usus est, ut non insolentiæ sed benignitatis materiam nactum se omnibus comprobarit: ac plane ostenderit me-liorem ab optimis illis uiris heredem, nec gigni potuisse, nec eligi: & nunc quoq; inter tanta ista uirtutum suarum præ-mia, ac deo᷑ immortalium munera, ita uiuit: ut cum nõ ma gis sibi, quã amicis natum esse omnes intelligãt, nec quisq̃ satis laudare se posse confidat, quod ille ut quemq; suo auxi lio maxime indigere arbitratur, ita ei potissimum opem fer re festinat: quod optimum quemq; ubi semel agnouit, ali-quo merito sibi deuincire lætatur: quod deniq; adeo insi-gnis est illius liberalitas, ut non tam eos qui aliquam gra-tiam referre possunt, quã eos qui digni sunt, ut accipant no uis subinde beneficiis prosequatur. Quid quod nullius ante hac principis maiestas augustior? nullius comitatus orna-tior? nullius in publicum egressus acceptior. Itaq; ut pru-dentes uiros ad uenerationem, tantarum uirtutum admi-ratio excitat: ita promiscuum uulgus ad Reuerentiam, uel solus inuitat aspectus. Neq; uero ex his tantum, sed ex aliis quoq; plurimis, facile intelligas illũ semper existimasse, nul-lum iucundiorem pecuniæ fructum esse, quã magnificentiã tum priuatam tum publicam. Quam memorabile enim il-lud? quã magnificum? quod cum urbes fere omnes quæ Ve-netæ Reipubli. parent, firmissimis mœnibus ac latissimis

fossis, ita ambiantur: ut nulla tanta uis hostium imminere possit, quæ sustineri atq; arceri nequeat: ille tamen his non contentus, suasor atq; author fuit, ut alibi Plateę omnes ac fora, aut lapide, aut coctili latere, sternerentur: alibi pontes ac portæ ita extruerentur, ut excusso senio, ipsæ sibi urbes rursus conditæ, ac iam felicius renatæ uideantur: nec iam munitæ modo, sed etiam ornatæ, perpetua Venetæ magnificentiæ monimenta uenturis seculis ostentare possint. Quid? non illud ut longe prospicientis, ita largi animi certissimum argumentum iudicari oportet? quod summa ope adnixus est, ac plane iam perfecit, ut uetus illud atq; illustre collegium olim quidem aquis præfectum, sed incuria quadam prope intermissum, multo iam maiore frequentia quã unq̃ antea conuenire cœperit: cui ipse quoq; interesse libenter solet, quo diligentius uideatur uti ne, quæ urbem ambiunt, atq; interluunt aquæ, né ue flumina quæ in eas deferuntur aut noceant, aut prodesse desinant. Quid enim uel ad tutelam tantæ urbis utilius? uel ad splendorem magnificentius excogitari potuit? quã ut adhibita tot ac tantarum uirorum cura & diligentia, quantiscunq; res ipsa postulat impendiis, naturam ars adiuuet: & longe firmissima ista munimenta defendat, ac seruet: quibus locum prouida illa ac benigna parens ita sepsit, ut hinc palustri solo, atq; aquis late stagnantibus, illinc alto mari, uadisq; in eo latentibus & incertis, quasi fossa & mœnibus, omnes hosti aditus terra mariq; præcludat: quæ tam rara atq; inaudita loci facies, hoc consilio non modo defenditur, sed in dies etiam, quantum licet, ornatur: manetq; ac diutissime manebit admira-

bilis iste pulcherrimæ urbis situs: & cum illo blandientis cœli salubertima temperies: neq; unquam ædificiorum magnificentia augeri desinet. In quo, ut multum naturæ debeatur, quæ sedem prima monstrauit: multum etiam maiorum prudentiæ, qui eam sibi delegere, ac posteris, multum deniq; his qui paulatim postea urbem in hanc amplitudinem extulere: non minus tamen optimi principis Consilio acceptum ferri oportet: qui magno & excelso animo cum natura ipsa & tota antiquitate honestissimum certamen instituit: & quod illa olim dedit, quod maiorum cura adiecit, tueri atq; augere contendit: neq; id suo tantum seculo præstitisse contentus, ut in posterum quoq; par diligentia perseueret, summa cura atq; arte prouidit. Illo enim crebro atq; amanter admonente factum est, ut iam omnes intelligant, id non modo utile atq; honestum, sed prope necessarium esse. Quid enim profit quæsisse: nisi quod jam partum est diligenter tueare: cum porro in acquirendo casus aliquis plerumq; adiuuet, in tuendo ars & uirtus semper eluceat, quis non uidet tanto hinc certiorem esse, quam inde laudem, quanto uirtus est omni casu præstantior. Quis porro cum uideat tanti collegii prudentiam ac curam Reipubli. usui & ornamento semper futuram, eum non summis laudibus efferat? cuius consilio & suasu factum est, ne tam laudabile institutum facile posset exolescere. Sunt hæc magna omnia, quæ si in alio quouis, uel singula spectentur summam admirationem, summos clamores excitent. Verum huius hominis splendidæ atq; amplissimæ cogitationes, nullis fi-

nibus premuntur ; nullis claustris coercentur : sed eo quoq; se porrigunt , quo peruenire posse nemo putauerat. Quis enim Venetæ classi quicquam præter numerum maiorem, adiici posse credidisset? Cum iam tot seculis, in ea paranda , augenda , ac subinde exornanda, ciuitas ita excelluerit : ut nulla hodie Respublica , uel numero , uel firmitate , uel pulchritudine nauigiorum cum ea queat contendere. At hic in ea quoq; re, inuenit quomodo & ad firmitatem , & ad speciem , non parum adderet. Cum enim ad hanc usq; ætatem naualis omnis apparatus , intra triremes constitisset, illo authore quadriremes iam , & quinqueremes fieri cæptæ ; quas ubi uideas , non naues uidere te ; sed insulas , & inexpugnabilia in his oppida existimes : ac nihil prorsus dubites, præcipuam ac peculiarem tanti uiri laudem esse ; quod ut aliis multis ac magnis rebus , ita etiam decoris ac magnificis sumptibus , reipublicæ maiestatem augere constantissime perseuerat. Quamuis autem in hoc genere prope infinita sint , quæ consulto præterimus : ut modum tandem aliquem & finem orationi nostræ faciamus : illud tamen omittere nullo pacto possumus : quod ad ornamentum tantæ Reipublicæ , uel in primis pertinet. Agebatur ab urbe condita annus millesimus ac centesimus , creuerat in hanc, quæ spectatur , magnitudinem, ciuitas . Iamq; ab Abdua in Pamphyliacum mare Imperii fines prolati erant , cum tamen adhuc leges proximis aliquot latæ seculis , & ius ciuile tantæ urbis , adeo dispersum atq; inconditum

iacebat:ut nemo nisi summo labore, aut casu aliquo, posset inuenire, si quid tale usus postularet. Non putauit ille tantam rei indignitatem diutius ferendam: ac leges omnes quę nondum erant abolitæ aut abrogatæ, totumq; ius ciuile Venetorum in genera sua, & generum formas ita distribuendum curauit, ut quantum ea res difficultatis pridem habuerat, tantum nunc uoluptatis afferre possit: cum non inuentu modo, sed cognitu etiam facillima sint omnia. Proinde ex his quasi nouis quibusdam pandectis, quicunq; hæc olim frustra desyderauerant, exiguo iam & iucundo labore discent, quæ remedia auocandis a turpis uitæ contagio mortalibus, quæ rursus inuitamenta eisdem ad uirtutem excitandis, uiri prudentissimi excogitarint. Hinc enim uideas non solum, quod de Romanorum legibus scriptum est, honestos pro Republi. labores atq; ausus, præmiis decorari, uitiaq; ac fraudes hominum, ignominiis, uerberibus, exiliis, & morte mulctari: sed litium quoq; omnium dissidia tanta æquitate tolli, ut Venetarum legum conditores, nihil magis desyderasse uideantur, quā ut in sua ciuitate & pietas uera, & caritas fraterna, non sine omnium quiete, & utilitate spectaretur: ac iam non sociæ modo, ac subditæ ciuitates, sed externæ quoq; nationes, possint intelligere Veneti iuris scientiam, non ex Lycurgi, aut Draconis haustam fontibus, non ex ligneis Atticorum axibus, non ex æneis Romanorum tabulis, sed ex christiana Philosophia, atq; ex his legibus esse deductam: quas Deus & Natura conscripsit: quæ multis seculis ante natæ sunt, quam ab hominibus aut esset ulla urbs cōdita, aut omnino scripta lex, ut nemo iam

Venetis legibus non parere ultro debeat? quas & bonorum ac plane sapientum uirorum esse decreta, & Dei inuentionem, ac donum, uel ex eo agnoscat: quod in his non litiũ, sed christianæ concordiæ disciplina traditur: quodq; his tam recte administrata Respub. est, ut annos amplius mille sine ulla domestica seditione ciuitas imperarit. Proinde quisquis genus hoc beneficii recte consyderarit, id omnibus fere bellicis rebus merito anteponet. Nam quæ in bello fortiter ac prudenter geruntur, ea fere semel tantum prodesse solent: hoc non uni alteriue seculo, sed perpetuo, non huic tantum ciuitati, sed omnibus Veneto Imperio subiectis gentibus, ac nationibus, proderit. Hæc boni principis uera laus, hæc tanto illo magistratu digna gloria: amare uinculum humanæ societatis, amare dei dona, instaurare maiorum instituta, uelle non tam se, quã legem in sua Republi. esse principem, nouas bene de hominibus merendi rationes excogitare, & collatis in posteros etiam beneficiis sui memoriam, quã longissime fieri potest extendere. Sed quid ego aut his diutius immorer? aut alia tam honestæ actæ uitæ argumenta consecter? quum eum qui nec falli, nec fallere quenquã potest, Deum optimum maximum, eius rei testem proferre possim. Quid enim aliud quã diuinum tantarum uirtutum testimonium esse credamus raram istam felicitatem? quod tot ac tanta longæ peregrinationis, ac belli discrimina euasit: quod non modo ut Homericus ille Nestor incolumis, sed Repub. optime administrata uictor, ac lætus, in patriam rediit: quod ad supremam in eadẽ patria dignitatem uocatus est: quod annum ætatis octuagesi-

mum agens, animum tanquam Arcum intentum adhuc ha
bet, tantas clientelas regit: tot priuatorum hominum, tot
principum, tot ciuitatum, tot gentium, uota audit. Rei por
ro publicæ ita præest, ut metuant illum mali, ament boni,
uenerentur omnes. Quid priuata illa quanta sunt? quod eo
genere, ea familia ortus, in qua nihil, nisi ex optimis institu
tis, nisi ex probatissima disciplina fieri unquam uidit, noua
tamen domesticæ probitatis exempla subinde exhibet:
atq; in eo iam pridem, ita foris auita Traiadani uirtus eni-
tuit, ac superata est: ita nunc domi paterna francisci probi-
tas celebratur, ac uincitur: ut uniuersa ciuitas duos illos me
morabiles uiros forma quadam multo augustiore, in hoc
uno se adhuc spectare lætetur. Ac mehercules, si qua fato
functis harum rerum cura est, nihil dubitarim quin ipsi
quoq; gaudeant, se iam apud mortales multo magis huius
splẽdore, quam luce sua nitescere. Quid? quod neptes ex eo
filio, quem illi olim fata ademere, iam pridem optime educa
tas, iam adultas, iam illustribus uiris nuptas, iam matres ui-
det: & nunc ex eisdem egregiæ indolis & optimæ spei, pro-
nepotes lætus exosculatur. Tum uero ex his filiis, quos dii
immortales duos uni esse superstites uoluerunt, alterum fo
ris magnis rebus gestis insignem, alterum domi spectata
modestia omnibus charum, intuetur: & quod omnium lon
ge maximum est, dei beneficium ita agnoscit: ita magis ma
gisq; in dies ad cœlum oculos mentis intendit: ut & supre-
mam atq; ęternam illam naturam, unde bona omnia ad ho
mines defluere, pie semper credidit: quam maxime puro, ac
pio cultu ueneretur: & homines ita diligat, ut nihil magis
unquã

unquam desyderasse uideatur, quam omnes, rebus omnibus bene constitutis, felices aliquando uidere. Quid enim aliud: quam patriæ caritas, & christianæ Reip. obseruantia, illum ita affecit: ut & ante principatum, & mox in ipso principatu, de nulla re sæpius aut cogitarit, aut sit locutus, quam de christianorum concordia, & cum animo semper inuicto bella tractarit: nihil tamen sibi quærendum cura maiore, quam pacem, unquam putauerit. Cõtra, cum boni & æqui appetens semper fuerit: nunquam tamen non fortissime gerenda bella existimarit, quibus propulsari non inferri uidebat iniurias, neq; aliter ad pacem honestis conditionibus perueniri posse intelligebat. Quippe res erat longe difficillima, cum nemo fere ex christianis principibus, non ab alio aliquid repeteret, nemo non aliquid uel antiqui uel noui iuris, excusandæ, quam inferebat iniuriæ, prætenderet, Venetam Remp. multi lacesserent, ab eadem rursus qui inter se dissidebant opem certatim peterent, bello arderent omnia, nec finis ullus futurus uideretur: ille tamen neq; amicos, ac socios ad quietem hortari, neq; hostes ab inferenda iniuria deterrere, unquam destitit, utrisq; ostendens quantis se periculis obiicerent: adhibuit preces, adiecit minas, nihil deniq; non fecit: ut christiana Resp. sublatis dissidiis aliquando quiesceret. Quoniam uero nõ ignorabat, ut in litibus, ita in bellis, causam plurimum ualere: quæ si bona sit, animos erigat: si mala, infringere consueuerit: author patribus semper fuit, ut ex maiorum instituto alienis abstinerent: sua tum disceptando, tum pugnando, fortiter defenderent: neq; a se modo, sed ab omnibus,

quos iniusto bello pressos uiderent, iniuriam propulsarent: non sumptus, non laborem, non inimicitias, pro æquitate suscipere uererentur: omnibus deniq; commodis suis, æqui boniq; defensionem anteferrent. Factum est id, quam fieri potuit constantissime, susceptæ ad tempus graues inimicitiæ, suscepti labores prope incredibiles, adita formidolosa pericula, obduratum deniq;, quoad tandem non solum Europa uniuersa, sed Aphrica quoq;, & Asia, plane iam intelligeret eos esse Venetos, qui Italiæ iura & prudenter noscerent, & fortiter defenderent: qui pro sociis atq; amicis ab iniuria uindicandis magno atq; elato animo, & Thesauros absumere, & bella suscipere, non dubitarent: qui deniq; hostiles omnes furores possent non solum togæ artibus temperare, sed armorum etiam fulgore compescere. Itaq; discussa tandem fallentium opinionum nebula, agnouerunt generosæ & christianæ mentes errorem suum. perculit animos captiuitas principum, direptio ciuitatum, uastatio Italiæ: piguit irarum, piguit sumptuum, piguit effusi sanguinis: excussit e manibus arma christianus pudor, & honestis tandem conditionibus pax optanti Italiæ restituta est. Idq; optimo principi acceptum ferri æquissimum est, qui & bellum adeo constanter gerendum semper censuerit, ut ex eo pacem sequi prope necesse esset: & pacis conditiones, ubi primum honestæ, & sine ulla insidiarum suspitione oblatæ sunt, statim accipiendas summo studio curarit. Proinde iam omnes adita illa pericula, ac suscepta impendia, quæ pridem grauia ac molesta uidebantur, una uoce laudant. Quod enim argentum? quod aurum? quæ opes tã-

tæ esse potuerunt: ut non utilius censeri oporteat, pacem Italiæ, & concordiam christianæ Reipublicæ attulisse, quã summas illas quantæcunq; fuerunt, uel decies ærario intu-lisse. Quando hoc propulsandarum iniuriarum studio, hac tanta æquitate, hac fortitudine, hac constantia, adeo est Reipublicæ aucta maiestas: ut qui illam ante hæc tempo-ra, uel parum agnouerant, uel forte contempserant, iam uel solum illius nomen uereantur: qui inuiderant, posito liuo-re diligant: ac nemo unquam tam infestus Veneto nomi-ni hostis fuerit: qui non aliquo affectus beneficio amicus esse lætetur. Cuius rei quanquam non obscura probatio est: quod non solum summi Pontificis legatus, sed christia-norum fere omnium Regum ac principum oratores, uiri summa dignitate, summa uirtute præditi, ac iam concilia-tæ, & mansuræ pacis certissimi obsides, nihil non huius Reipublicæ causa suos uelle, constantius in dies asseuerant: illud tamen longe certius auctæ ac iam optimæ constitu-tæ maiestatis argumentum nemo dubitarit, quod hoc prin-cipe, Carolus Romanorum imperator, post hominum me-moriam longe maximus, ab ea expeditione quam aduer-sus Turcas susceperat, defensa iam Germania, & feliciter repulso hoste, uictor reuertens, numeroso ac plane formi-dabili stipatus exercitu, totam eam Italiæ partem quę Ve-netis paret, adeo quietus ac placidus peragrauit: ut Sena-tus iam satis sua maiestate securus, ne peditem quidem ul-lum ad urbium suarum tutelam armandum censuerit: nec ullas saltem post tot bella insidias, aut simultates, pertimue-rit. Tantum fides, tantum recte factorum conscientia, tan-

tum deniq; potuit honestissimum illud consilium, quo non referendis iniuriis, sed conferendis beneficiis, imperii sui dignitatem auxit princeps sapientissimus: & qui bellando quondam uicerat: qua uia etiam sedendo uinceret, inuenit: tantoq; fuit clarior togati uictoria, quam unquã fuisset armati: ut nemo non arma togæ cessisse merito fateatur, non paucorum ciuium conspiratione disiecta, sed sublatis penitus e Republica christiana armis ciuilibus, directis omnibus bellicis machinis, ad defendendos christiani Imperii limites, collatisq; in patriam beneficiis multo pluribus, ac maioribus, quam principatum iniens, uel polliceri, uel sperare ausus esset. Itaq; iam nemo facile queat inuenire, quo se uotorum nostrorum improbitas ultra porrigat. Quid enim tot tantisq; aucti successibus petere iam aliud audeamus? quam ut qui Rempublicam prope depositam ac deploratam armatus restituit, qui iam desperatam uniuersæ Italiæ pacem togatus attulit, eum & æternus ille author ac causa mundi huius, & præclara illa Sydera, quæ nascentem ad opem patriæ, dextra & amica uiderunt, incolumen ac recte ualentem ita superesse patiantur, ut Resp. maximis tandem defuncta periculis, salubribus tanti uiri consiliis, & amabili hac quiete, quam diutissime perfruatur: ille autem assignatum sibi a Deo munus adhuc libenter obeat, his honoribus quos summos patria potuit deferre contentus: donec ad ea præmia, quæ tantis uirtutibus paria esse sola possunt, iam uocatus, in certum illum ac diffinitum in cœlo sibi locum, iamq; æui plenus, & benefactorum conscientia lætus, ascendat.